

servationum cap. 20. „ Enimundus Bonifidius, collega
 „ meus eruditissimus, qui ad veram Juris cognitionem,
 „ summam adjunxit peritiam trium linguarum, simul
 „ ac pietatem & morum integritatem eximiam. Hunc
 „ si moriens roger, quod olim Aristoteles, solum ha-
 „ beo ex his, qui modo quidem Jus civile publice pro-
 „ fitentur, quem discipulis meis ostendere possim. „ Al-
 „ ter Jacobus Thuanus lib. LIX. Hist. ad ann. 1574. „ Sex-
 „ to Eidus Februarii Genevæ, quum tantum xxxviii.
 „ annos exegisset, fato functus est Enimundus Bonifi-
 „ dius, Chabovii ignobili vico in Valentino agro na-
 „ tus, homo probus & simplex, qui quum pedem pa-
 „ tria nunquam extulisset, tamen Hebraicis, Græcis,
 „ & Latinis egregie instructus erat, ut in celeberrimis
 „ orbis Academiis operam studiis dedisse sub præstantis-
 „ simis magistris crederetur. In Juris autem scientia,
 „ quam Valentia profitebatur, adeo excelluit, ut Jac-
 „ bus Cujacius, qui principatum illius tenebat, alicubi
 „ scripserit, si moriens rogetur, ut olim de Theophras-
 „ to Aristoteles, non alium habere se, quem discipulis
 „ suis possêt ostendere. Post tumultum Parisiensem a
 „ Francisco Hotomanno invitatus, Genevam concessit,
 „ ubi Jus Orientale, cujus jam specimen ediderat,
 „ majore opere illustrare aggressus, morte post biennium
 „ superveniente, spem se tanto viro auctore conceptam
 „ fefellit. Cui me nunc, tamquam præceptori de me
 „ secundum Cujacium & Franciscum Roaldesium, quibus
 „ simul eodem tempore operam Valentia navavi, opti-
 „ me merito, hoc monumento parentare æquum ju-
 „ stumque duxi „ .

Post Bonifidium *Johannes Leunclavius* Amelburnus,
 cui etiam Jurisprudentia Græco-Romana plurimum de-
 bet, ex pluribus Bibliothecis Asiæ & Europæ, diligen-
 ter conquisivit, recensuitque, & interpretatus est *Con-*
sultationes Imperatorum, Patriarcharum decreta & Syno-
dales sententias, scriptaque alia, Juri tam Civili, quam
Canonico Græcorum, lucem afferentia. Post hocce opus
absolutum [inquit Fabricius Tom. cit. pag. 488.] *quum*